Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2809
Quelle:
Copyright:

Bohemie qui ab romane ecclesie obedientia recesserunt et se contumaciter contra residuam christianitatis multitudinem erexerunt. Oblata fuit eidem prefato illustri principi Duci ludowico quedam cedula per quendam bohemum Hereticum conscripta quatuor in summa continens articulos, quos scriptor eiusdem cedule dixit bohemos velle usque ad separacionem anime a corpore defendere, prout etiam in eadem cedula continetur. Itaque ille prenominatus christianissimus princeps (in marg. rubro *Barbatus* notatur) *ipsis oblatis articulis nequaquam assenciens, sed eos veluti male sonantes respuens, iussit, ut contra eosdem aliquid conciperem et feci id quod tunc potui inter tot campestres strepitus et inquietudines tumultuosas* &c. Respondet itaque ad IV. illos *Articulos*, qui etiam apud *Cochleum Hist. Hussit.* L. V. p. 199. leguntur. Novit Tractatum hunc *Trithemius n. suprac.* et ex eo *Fabricius*, qui tamen erronee illum anno 1494. adsignat.

VIII. *fol.* 77. p. 2. *Sequitur Alius tractatus contra bussitas factus. Anno domini 1421. Die 16. mensis septembris in campo bohemie prope sacz ad vnum miliare a venerabili sacre theologie Doctore conrado De susato* (Soest in Westphalis) *postea promoto in episcopum ratisponensem.* Initium ad eundem *Ludovicum* Barbatum: *Illustris princeps et excelse domine, cupiens vestre celsitudinis et gratie parere mandatis ea que de quatuor Articulis — sencio, conscripsi* &c. *Gesnerus* in *Bibl.* notat *Conradi de Susata Quaestiones in Ethica Aristotelis*, sed de praesenti Tractatu, quem cum praecedenti ineditum puto, altum ubique silentium. Autoris in Episcopatu Gesta habes in *Hundii Metrop. Salisb. T. I. Ratisp. 1719. p.* 142 f. Obiit 1437. *kal. Maj.*

IX. *fol.* 82. p. 2. *Sermones* XVIII. quorum Primus inscribitur: *Sermo ad clerum factus per egregium Doctorem magistrum nicolaum Gawer In synodo Wormacien.* Cum porro et subsequi ad *Reuerendos Patres, Doctores et Magistros* dirigantur, stiloque inter se conveniant, omnes eidem Autori adscribendos censeo, de quo nihil apud Lexicographos, nisi forte is sit *Johannes Gauwer* Carmelita *Moguntinus*, aut *Nicolaus de Susato Conradi* praecedentis conterraneus et ipse apud *Ludovicum Bav.* in pretio habitus, Gymnasii *Heidelbergensis decus et columna*, ut ait *Trith.* c. 169. *de Scriptt. Germ.* qui illi *Sermones multos* tribuit. Primus e nostris incipit: *Domus mea domus orationis vocabitur. Luce 19. Reuerendi Patres &c. Quia beatus Ambrosius in primo lib. de officiis plures dicit se uidisse in peccatum incidere in loquendo* &c. Corrupti quorundam Clericorum mores passim, maxime *Serm. V.* depinguntur et acriter perstringuntur.

X. *fol.* 169. *Sermones* XII. sic inscripti: *Collacio de festo Annuntiationis Beate Marie magistri Johannis pfeffer de widenberg cum vnde-*